

11

EPISTOLA  
QVA  
VIRO MAGNIFICO,  
SVMME VENERABILI, EXCELLENTISSIMO,  
ATQVE AMPLISSIMO,  
**IOANNI FRIDERICO  
BVRGIO,**

REGIO IN SVPREMO CONSISTORIO CONSILIARIO  
GRAVISSIMO,  
INSPECTORI ECCLESIA RV M ET SCHOLARVM VRATISLAVI-  
ENSIVM A. C. ADDICTARVM SPECTATISSIMO,  
AD AEDEM S. ELISABETHAE PASTORI VIGILANTISSIMO,  
PROFESSORI THEOLOGIAE IN VTROQVE GYMNASIO  
VRATISLAVIENSI PRIMARIO,  
PRAECEPTORI, PATRONO,  
ET STVDIORVM SVORVM PROMOTORI,  
AD CINERES VSQVE OMNI PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO,  
MVNERA SACRA, PER SECVLI DIMIDI VM  
SVMMA CVM LAVDE ADMINISTRATA,  
ET  
SVM MOS IN THEOLOGIA HONORES  
EA,

QVA PAR EST, ANIMI SVEMISSI ONE GRATVLTVR  
M. SAMVEL BENIAMIN KEYL, VRATISLAV.

HALAE MAGDEBVRGICAE EX OFFICINA HENDELIANA.

ERISTOLA

ALIO MARIANO

STYLIS VITAE ET EXCELIS NISSIMO

A JOHANNIS

IOHANNES BAPTISTA

BARONIO

IN OMNIBUS REBUS ET IN

GRATIA

REVERENDISSIMO PATRI ET

REVERENDISSIMO PATRI

REVERENDISSIMO PATRI

REVERENDISSIMO PATRI

REVERENDISSIMO PATRI

REVERENDISSIMO PATRI

REVERENDISSIMO PATRI

REVERENDISSIMO PATRI

REVERENDISSIMO PATRI

REVERENDISSIMO PATRI

REVERENDISSIMO PATRI

REVERENDISSIMO PATRI

REVERENDISSIMO PATRI

REVERENDISSIMO PATRI

REVERENDISSIMO PATRI



VIR MAGNIFICE,  
SYMME VENERABILIS, EXCELLENTISSIME,  
ATQVE AMPLISSIME.



Quanta sit mea erga TE TVAque ma-  
xima merita, quae profus admiror,  
veneratio, quantoque inprimis gau-  
dio perfundar', quod grauissimis muneribus sacris  
omnium cum applausu et multiplici fructu iam per  
L. annos, cuiusmodi quid paucissimis contingit,  
summi numinis beneficio praefueris, id quidem

A 2

magis



magis in me sentio, quam verbis significare valeo. Interim ne turpi, quo in TE animo sim, silentio premere videar, inprimis illo ipso tempore, quo boni omnes, TVI, VIR MAGNIFICE, causa, intimam & summam laetitiam demonstrant, vota ardentissima ad Deum fundunt, & cuncta gratulationibus personant, itaque pace TVA, ea, quae mea in TE pietas iubet, atque animi haud ingrati indoles postulat, pro virium mearum modulo praestabo. TIBI enim, praeter innumera singularis in me fauoris, quibus me mactasti, specimina, in acceptis refero, quod limpidissimi doctrinae salutaris fontes mihi reclusi sint, viaque mihi monstrata sit ad aeternam salutem perueniendi. Vt vero officio meo eo rectius interesse queam, visum est mihi, VIR EXCELLENTISSIME, breuem explicationem illustri oraculi, quod legitur *Ies. LIII, 8-10*. TVO VENERABILI NOMINI inscribere, vbi in id incumbam, vt verborum verum sensum ex vsu loquen-




quendi et contextu eruam. Spero autem, TE, VIR MAGNIFICE, hunc exiguum laborem benignissime excepturum, quaeque non satis solide a me explicata fuerunt, pro ea, quae TIBI sollempnis est, indulgentia, diiudicaturum. Quo singulari fauore obtento, fiet, vt ad diligentiam et cognitionem in veritatibus sacris augendam, de nouo exciter, atque hinc indies eodem dignior euadam.

Iam conuerto me ad duplicem, quam TIBI, VIR MAGNIFICE, debeo gratulationem. *Primum* TIBI gratulor ex animo munera per L. annos magno cum honore et applausu multiuariisque fructibus gesta. Quanta enim hominum multitudo, verbi diuini audiendi, et bene intelligendi cupidissima, et virtuti diuinae, cum eodem coniunctae, non resistens, doctrina solidissima instituta, et in bono magis magisque confirmata fuit? Quantum hominum impiorum numerus, TE Deum pro illorum salute ardentissime precante, eosque amice



et studiosissime a via exiti abducente, et ad viam salutis perducente, pii facti fuerunt: & quam multi infideles, TE duce, ad saniora principia redierunt! Quantum solamen aegris et ἐν ἀγῶνι θανάτου versantibus praebuisi! *Deinde* ex animo gratulor TIBI, VIR MAGNIFICE, summos in Theologia honores, quibus diu ornari meruisti, a Summe Venerabili Theologorum in Regia Academia Halensi ordine, in TE dignissimum inopinato collatos. Faxit Deus ter optimus maximus, vt his & reliquis diu fungaris. Protegat TE, vt pignus pretiosissimum, et saluum incolumemque TE quam diutissime conseruet; vires corporis corroboret, & augeat, vt, si velit, Nestoris annos in eruditi orbis decus, et ecclesiarum scholarumque emolumentum, nec non in familiae TVAE Splendidissima solatium, consequaris.





§. I.



Cum notatu dignissima verba Iesaiæ v. 8 - 10. de præmio, quod Christo ob lubenter toleratas perpeffiones contigit, agentia, interpretari, verumque eorum sensum eruere et stabilire in animo habeam, quaedam de persona, de qua loquitur propheta, præmittam. De hac dissentiunt interpretes. *Primaria* omnium sententiâ est, quod de Christo hic sermo sit; alii totum caput vel ad ipsum prophetam referunt, vel ad Ieremiam; alii ad populum Iudaicum, tanquam piaculum gentilium, illud rapiunt. Ego cum nostratibus, quam primo loco attuli, sententiâ



tiam amplector. Ante omnia enim contextus hoc docet. Propheta a Cap. XL. de felicissimo illo tempore, quo gentiles ad deum conuerrendi essent, vaticinatus fuerat; et C. L. 4. Iehova loquitur, dicitque, Iehouam sibi linguam dedisse ad humiles animo consolandos; et v. 6. C. LII. legimus, Iehouam tempore certo prolocuturum, et tunc populum ipsius agniturum nomen eius. Quae verba excipit adhortatio, ad pristinos idololatrias directa v. 11. 12. quae ita se habet: discedite, discedite, exite illinc, - - - Iehoua h. e. seruus dei, et extrema acies vestra erit deus Israelis, et v. 13. ecce prosperabitur seruus meus etc. Quibuscum si C. LIII. 10. extr. et 11. sq. conferas; tum haec omnia ad gentiles illos respectum habere, oppido patet. *Deinde* praedicata, non nisi Christo convenientia, explicationem nostram requirunt. Et *denique* hoc ipsum patet ex infallibili N. T. interpretatione; quo loca Act. VIII. 34. 35. Rom. X. 16. sunt referenda.

## §. II.

Quibus praemissis, ad rem ipsam accedo. Vt vero haec eo melius intelligatur, contextum antecedentium cum verbis explicandis breuiter ostendam, opus est. Totum nimirum caput in duas diuidi potest sectiones, quarum *prior* v. 1-10. verba nuncio-

nunciatorum pacis, h. e. apostolorum; *posterior* vero v. 11-12. sermonem ipsius dei continet. De *priori*, et quidem vltima illius parte, ad quam verba nostra pertinent, hic agimus. Postquam scilicet propheta de exiguo assensu doctrinae, de vniuersali salute per Christum parta, conquestus fuerat, v. 1. et humiliationem Christi, et quidem 1) tropice v. 2. 2) proprie v. 3. descriptam, quid, quod? & veram illius causam, in perpeffionibus pro nobis susceptis, sitam v. 4-7. stiterat, tandem peruenit ad praemium, quod Christo ob perpeffiones libere et lubenter toleratas, obtingeret, quod v. 8-10. repraesentat. Et de hoc quidem mihi iam fusius agendum.

§. III.

In hac sectione 8) occurrit liberatio Christi a grauissimis perpeffionibus, atque ex ipsa morte v. 8. cuius verba ita verto: *ex angustia atque ex iudicio sumtus est: quis iam aetatem eius edifferet, quamuis excisus fuerit ex terra viuentium; etenim propter praeuaricationem populi mei plaga ipsi obtigit.* **PRI-MO** dicit: *ex angore et iudicio sumtus fuit*, h. e. ex grauissimis doloribus et perpeffionibus suis liberatus fuit. | Deo enim et eius iustitiae punitivae satisfecit, propter quam non potuit non peccatorum poenas suscipere, ad delictorum grauitatem diuer-



sam attemperatas, vt ab omnibus peccatis ipsi imputatis absolue-  
 retur. Verum enim vero v. 9. 10. praemium vitae aeternae, ab  
 ipso reportandum, vt sequela angoris et mortis ipsius, specta-  
 tur, adeoque haec non sola liberatio est ab angore et iudicio dei,  
 seu grauissimis perpeffionibus. *Angorem* vocat עצר a radice  
 chald. Syr. et Arab. *pressit*. Coarctata enim erat ipsius anima  
 infinitis afflictionibus, de peccatis totius generis humani ipsi im-  
 putatis, et in eum impingentibus, totumque eum implentibus.  
 Porro *iudicium* dicit, quia a summo iudice ipsi haec mala, quae  
 homines, ob reatus a Satana accusati, perpeti debuissent, impu-  
 tata fuerunt, vid. Ier. 32, 3. Et ex vtroque לָקַח *sublatus* dicitur,  
 quae vox de *Enocho* et *Elia*, in coelum sublatis, accipitur. **DE-**  
**INDE** addit, *quis aetatem eius eloquetur?* Quidam interpretes,  
 vt S. V. *Oporinus*, sub voce דור intelligunt semen spirituale.  
 Enimuero tali nunquam gaudet significatu; sed *aetatem hominis*  
 designat. Et si illud locum haberet, propheta potius דורות po-  
 suisset. Hinc verba ita sunt explicanda: *quis felicem eius vitam*  
*futuram describet?* coll. v. 10. et Rom. 6, 8. Et hoc omnino  
 mirum videri poterat, quia prius mortem ignominiosam perfer-  
 re tenebatur; qua de re dicit propheta in altero hemistichio:  
*quamuis excisus sit ex terra viuentium.* Quae verba satis do-  
 cent,



cent, vaticinium hoc de *Christo*, non de *Ieremia* esse accipiendum. Nam ita liberatus a malis impositis dicitur hic, de quo propheta loquitur, vt prius dicatur *excisus e terra viuentium*, quod *Ieremiae* non contigit, ideoque ei applicari non potest. *Grotius* quidem haec verba de eo interpretatur, quod actus fuerit primum in carcerem, deinde in lacum coenosum, ac rursus in carcerem. *Ast haec* minime exhauriunt vim dictionis, qua aliquis dicitur *excisus e terra viuentium*; haec enim phrasis valet de morientibus. *Pf.* 52, 7. *Ies.* 38, 11. 12. *Pf.* 116, 8. 9. Indeque de *Christo Daniel* ait: et *excindetur* C. IX, 26. Bene igitur si haec verba reddunt: *ὅτι ἀίγεται ἀπο τῆς γῆς ἣ ζῶν αὐτῶν*. Quod et confirmatur sequentibus: *ob defectionem populi mei plaga ei*. Scio quidem, quosdam haec verba ita reddere: *ob iniquitatem populi mei plagamque ei inferendam*, ita, vt ad vocem כנע (י) et *ob*, repetendum sit. Sed ego cum *Cocceio* et aliis facio, qui priorem explicationem admittunt. Nam *primo* non necessarium est, vt כנע pluralem exprimat; sed כנע saepius pleonastice interferitur, adeoque pro: (ל) ponitur. Nec exemplis caret כנע epentheticum. Indicata enim iam ab aliis loca sunt. *Gen.* 9, 27. *Iobi* 20, 23. C. 22, 2. *Pf.* 11, 7. *Deinde* si posterior interpretatio locum haberet, vocem כנע praefixum (י) non omisisset, et



sine dubio נבע posuisset, adiecto scilicet nomini substantiuo, suffixo (י). Cum autem hoc non factum sit, sed potius loco huius constructionis dicatur נבע לבי *plaga ipsi*; facile intelligitur, verbum substantiuum, frequentissime in V. T. omisium, scil. fuit, h. e. illata est, esse supplendum. Accedit et hoc, quod posteriori illa explicatione assumta, ad לבי iterum quid, scil. pronomen אשר, suppleri debeat. In priori itaque explicatione, qua verba ita reddo: *ob iniquitatem populi mei plaga ipsi* scil. Messiae fuit, s. contingit, maneo.

§. IV.

Progredior iam ב) ad sequentem versum explicandum, ubi primo duplici modo agitur *de eo, quod super Messia, in morte versante, constitutum fuerat*. Et haec est summa prioris propositionis: *et constituit* (scil. gens Iudaeorum tanquam proximum subiectum,) *impios*, h. e. milites Romanos, sepulcrum ipsius custodituros, *ad* (subintellecto ב) *sepulcrum eius*. Verbum enim נתן designat: *constituit*, vt Graec. *καθίστα* et lat. *statuere*, qui significatus occurrit *Gen.* 42, 30. *I Sam.* 1, 16. *Ezech.* 28, 2. Vox autem: רשעים proprie denotat *impios*, sub quibus non nisi *gentiles*, qui hoc nomine venire solebant, et quidem, vt ex impleto vaticinio patet, milites Romani sunt intelligendi.

Quod

Quod autem praefixum (2) hic subintelligi debeat, ex simili propositione proxima, vbi illud adiunctum fuit, et multis aliis V. T. locis patet. In *posteriori* propositione de illa re ita loquitur propheta: et *diuitem*, seu *diuites*, Iosephum scil. Arimathensem et Nicodemum, *constituit* populus Iudaicus, *in mortibus eius, seu ad mortes eius*. Mors scil. Christi fuit mors vicaria, pro toto genere humano suscepta, adeoque mors mortium; vnde quam aptissime in plurali effertur. *Deinde* rationem adiungit, cur istud de Messia constitutum fuerit, quae vltimis huius comitatis verbis continetur: *propterea quod nec violentiam fecerit, nec fraus in ore eius scil. fuerit*. Haec verba personam Christi, tangunt, et praedicant eius ἀναμαρτησίαν. Ac propterea soli Christo vindicanda sunt, vti ipsi et illa verba attribuuntur I Petr. II, 22, et denique res I Ioh. 3, 5. Hebr. 7, 26. Matth. 27, 18, 19.

§. V.

Restat adhuc, vt 3) v. 10. explicemus, vbi propheta duo proponit. *Primo* de satisfactione Christi pro peccatis agit hisce verbis: *sed dei voluntas fuit contereere ipsum et aegrotare eum fecit*. Morbis eum adfecit; non, quod ipse aegrotauerit, sed quod pro morbis nostris, et spiritualibus et corporalibus, vti



Matth. interpretatur, satisfecerit, eosque abstulerit. Haec verba cum v. 8. sine proxime cohaerent, vt statim euident est, et indicant liberrimam dei voluntatem, in qua adquiescere posset, complecti rationem sufficientem redemptionis, per Christum factae. Hunc itaque Deus *contriuit*, *morbisque oneravit*, h. e. poenis eum, pro peccatis nostris, grauissimis affecit coll. v. 4. 5. Hinc GROTIUS errat, qui ea, quae maximas testantur afflictiones, & personae dignitatem, vel rationem plus, quam singularem, pro vulgaribus, & quae multis communia sunt, passim accipit. Quis enim alius, praeter Christum, nostri loco, omnes reatus & poenas nobis inferendas ipse suscepit, & corpore suo passus fuit, coll. v. 5. & se ipsum, vt sacrificium & quidem vnicum, pro peccatis nostris obtulit? Ebr. 10, 12. Indeque: *porro* in textu nostro dicitur: *si anima ipsius posuerit sacrificium pro reatu*; ex quibus verbis elucet, Christi mortem, & satisfactionem pro peccatis nostris, vt proprium sacrificium esse spectandum. Nam hebraeis vox  $\text{זָבַח}$  significat etiam *sacrificium pro reatu*, vt vox graeca *ἀναγία* 2 Cor. V, 21. est sumenda. Vox vero  $\text{שָׁבַח}$  cum suffixo (י) reciproce denotat *seipsum*; quo sensu in multis Vet. Testam. locis occurrit. Et huic conuenit cum loco parallelo Noui Testamenti vbi impletio dicti Iesaiiani existat,





exstat, scil. Ebr. 7, 21. *עֲדוּתוֹן אֲנֵינִי*. Iam illa verba excipit doctrina *de praemio a Christo reportando*, quam vltimis huius commatis verbis triplici modo sistit propheta. PRIMVM dicit: *videbit semen*, h. e. multos obtinebit filios, sicuti Messias in hoc ipso propheta dicit: ecce me et filios, quos dedisti mihi, coll. *Genes. 22, 18.* seu multi populi ipsi, si diuinae iustitiae satisfecerit, semet ipsum tanquam sacrificium offerendo, et homines cum Deo conciliauerit, adhaerebunt; & sic regnum eius spirituale magnum amplumque euadet. DEINDE addit: *et prolongabit dies*, h. e. diu viuet, aeternum felix erit, coll. v. 8. DENIQUE absoluit hoc comma hisce verbis: *et beneplacitum Iehouae per manum eius prosperabitur*, h. e. per eum prosperimos successus habebit. Vox enim (יָד) *manus* aliquando abundat, coll. *Genes. 9, 5. Ies. 64, 6.* Sensus itaque verborum hic est: *beneuola Dei voluntas*, secundam quam omnes homines saluari vult, & hinc eos ad salutem serio inuitat, & media gratiae iis offert, & salutis viam monstrat; *per Christum*, redemptorem hominum, plenissime perficietur; seu, vt vno verbo haec complectar: multi per Christum ad pietatem conuertentur. Id ipsum sequentia explicant: *videbit et saturabitur*, h. e. videbit ad satietatem (collato simili loquendi genere in hebraeo; *Genes.*



Genes. 25, 8. Cap. 35, 29. 1 Paralip. 33, 1. Cap. 29, 28.) et ad plenissimam voluptatem (vbi verbum שבט Ps. 16. vsurpatur) scilicet semen, posteros, s. multos subditos, ex antecedentibus supplendum. Hinc patet, haec verba, et illa, quae v. 10. explicata fuere, non esse prorsus synonyma, sed inter vtraque adhuc intercedere discrimen. Ex his commatibus explicatis sequentia fluunt porismata; 1) imperium Christi in ecclesiam est sequela passionum eius et praemium earundem, coll. v. 10. 2) Ipsi reatus & poenae nostrae sunt imputatae coll. v. 8. et 5. Ex quibus concludere licet, nos Christi meriti eiusque satisfactionis non participes fieri, imitatione Christi, sed imputatione illius, quod ipse in iudicio diuino peregit.




Fd 2287

X 2284284

Vd 18

nc





11

EPISTOLA  
QVA  
VIRO MAGNIFICO,  
SVMME VENERABILI, EXCELLENTISSIMO,  
ATQVE AMPLISSIMO,  
IOANNI FRIDERICO  
BVRGIO,

REGIO IN SVPREMO CONSISTORIO CONSILIARIO  
GRAVISSIMO,  
INSPECTORI ECCLESIA RV M ET SCHOLARVM VRATISLAVI-  
ENSIVM A. C. ADDICTARVM SPECTATISSIMO,  
AD AEDEM S. ELISABETHAE PASTORI VIGILANTISSIMO,  
PROFESSORI THEOLOGIAE IN VTROVQVE GYMNASIO  
VRATISLAVIENSI PRIMARIO,  
PRAECEPTORI, PATRONO,  
ET STVDIORVM SVORVM PROMOTORI,  
AD CINERES VSQVE OMNI PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO,  
MVNERA SACRA, PER SECVLI DIMIDI VM  
SVMMA CVM LAVDE ADMINSTRATA,  
ET

SVM MOS IN THEOLOGIA HONORES

EA,  
QVA PAR EST, ANIMI SVBMISSIONE GRATVLTVR  
M. SAMVEL BENIAMIN KEYL, VRATISLAV.

HALAE MAGDEBVRGICAE EX OFFICINA HENDELIANA.